

**Dissertatio medica inauguralis de tumore et fluxu haemorrhoidali ... /
[Daniel Cooke].**

Contributors

Cooke, Daniel, M.D.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour, Auld, et Smellie, 1767.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qs9puaue>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

61288/P Geo. Rose
DISSERTATIO MEDICA,

I N A U G U R A L I S,

D E

TUMORE ET FLUXU HÆMOR-
RHOIDALI.

Q U A M,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

P R O G R A D U D O C T O R I S,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

DANIEL COOKE, A. M. et

Soc. MED. EDIN. SOD.

H I B E R N U S.

Ad diem 12 Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXVII



316831

VIRO PRÆSTANTISSIMO,
GULIELMO CULLEN,

MEDICINÆ IN ACADEMIA EDINENSIS

PROFESSORI CELEBERRIMO,

QUO NEMO HODIE OMNEM ARTIS

APOLLINÆ PARTEM OBSERVATIONIBUS

MAGIS DITAVIT,

DIFFICULTATES IN EA

FELICIUS APERUIT,

AUT DENIQUE ORDINE LUCIDIORI

RES EJUS DISPOSUIT;

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS CONSECRAT

DANIEL COOKE,

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

DE

TUMORE ET FLUXU HÆMOR- RHOIDALI.

DEFINITIO.

VOCABULUM *Ἀιμορροΐς* interdum a Graecis ad sanguinis fluxum ex ulla corporis parte denotandum usitabatur; ut plurimum autem apud eos, sicut et apud hodiernos, tumores intra recti extremitatem, vel circa ani ambitum externum fitos, dolorem afferentes, et saepius sanguinem sincerum effundentes, designare solebat.

SPECIES.

IN haemorrhoides externas et internas, propter sedem diversam, distinguuntur. Hae intra rectum positae sunt: Illae vero

A

externum

externum ejus finem occupant. Porro, in caecas et apertas ulterius diducuntur, prout sanguinem necne emittunt.

MORBI DELINEATIO.

HAEMORRHOIDES impetum faciunt doloribus spasticis circa os sacrum, lumbos, inguina, et pubem, sensu ponderis, ac totius corporis languore stipatis. Accedit etiam capitis dolor gravans, et breviter omnia quae mensium eruptionem praegredi solent symptomata. Haec ilico calore, pruritu, et doloribus circa anum lancinantibus, excipiuntur. Tubercula quasi intra rectum sentit aeger, et tenesmo molesto vexatur. Crebro doloribus colicis cruciantibus, saepiusque recurrentibus, tentatur. Quo magis distenduntur tumores, eo saevior fit podicis dolor, adeo ut neque sedere neque cubare possit aeger sine maxima molestia. Ingravescit semper alvo exoneranda. Omnium horum symptomatum levamen percipitur
infigne,

infigne, difrupto tumore. Hoc autem
 fanguinis puri, quæ femper comitatur,
 dejectione facile innotefcit. Si vero nec
 rumpatur tumor, nec remediis aptis dif-
 cutiatur, dolor magis fixus et gravior e-
 vadit; accedunt calor intenfus, fitis, ano-
 rexia, naufea, pulfusque frequens et va-
 lidus. Aeger haud raro ftranguria ten-
 tatur, aut urinae fuppreffione; et ali-
 quando fingultu etiamque aurium tin-
 nitu et vertigine afficitur. Perftant fymp-
 tomata febrilia donec accedat tumoris
 fuppuratio. Tunc magna ex parte ceffat
 dolor, pusque copiofe cum foecibus per
 anum evacuatur. Tuberculum in ulcus
 converfum faepe fiftulofofum evadit; nec
 autem tam profundum nec fanatu adeo
 difficile, ac hujus loci fiftulae, ex aliis
 caufis ortae, plerumque reperiuntur.
 Tumor aliquando nequaquam fuppurat,
 fed indolem adipifcitur gangraenofam:
 Talis exitus excrementis foetidis ac fa-
 niofis dignofcitur: ftipatur quoque pulfu
 debiliter micante, cito, ac irregulari; et
 brevi

brevi plerumque hominem e medio tollit.

HAEMORRHOIDES externae rarius sanguinem effundunt, et plerumque minus afferunt doloris quam internae. In neutra specie fluxus unquam reperitur perpetuus, quanquam aliquando accidit, majus minusve cruoris, alvo deponenda, semper effluere.

HAEMORRHOIDES interdum, non secus ac menses, regularibus redeunt periodis; rarius autem externae quam internae. Ut plurimum semel spatio bimestri vel trimestri sese ostendunt; interdum autem non nisi semel vel bis quottannis recurrun.

CAECAE, impetu suo, paroxysmum febris intermittens aemulari nonnunquam observantur.

SANGUINIS una vice evacuati quantitas, diversis variat hominibus. Interdum vix unciae par est; nonnunquam autem libram superare invenitur.

DIAGNOSIS.

D I A G N O S I S.

PAUCI dantur morbi, qui non a hæmorrhoidibus satis facile discernuntur; nonnullos tamen, iis maxime confimiles, animadvertere haud abs re erit.

1mo, DYSENTERIA, Morbus hicce nunquam non torminibus comitatur. Sanguis, mucī minori vel majori quantitate semper commistus, dejicitur, et nullo cum symptomatum levamine. Hæmorrhoidibus autem nulla adfunt tormina; sanguis purus ac sincerus apparet, fluxusque adventus doloris ac aliarum molestiarum cunctarum cessationem secum adfert.

2do, MORBUS NIGER. Satis facile dignoscitur sanguine, sine ullo circa anum dolore praegrediente, dejecto, nullisque tumoribus, vel externe conspiciendis, vel interne ab ipso aegroto sentitis. Sanguis hoc morbo quoque effusus, colore, quem stagnatione acquirit, nigricantiori, scaturiginem altiore agnoscit.

3tio,

6 DE TUMORE ET

3tio, ASCARIDES. Pulsatio, dolor lancinans, et praecipue tumores, hic omnino defunt.

4to, RECTI PROLAPSUS, facillime discernitur, intestino statim in eo post alvi redditum decidente.

5to, FICI CIRCA ANUM. Hi carnasiori quam haemorrhoides et firmiori pollent compagine. In iis quoque abest doloris sensus.

CAUSAE PROEGUMENAE.

HAEMORRHOIDES fere nunquam infantibus contingere, raro juventutem infestare, et plerumque, non nisi post annum trigesium semet ostendere; vita autem declinante, praecipue dominari, inter omnes convenit auctores.

MULTI, viros magis quam faeminae, fluxui haemorrhoidali obnoxios esse, asseruerunt. Sexum sequiorem autem, in hac regione saltem, altero longe saepius hoc morbo

morbo tentatum esse, CULLENO, in praxi versatissimo, certiores facti sumus.

UT aliae haemorrhagiae, ita quoque fluxus hicce, saepius tempore vernali grassatur, propter majorem fluidorum quantitatem, hieme praecurrente, in corpore congestam, excretionibus variis tunc admodum minutis; etiamque propter molem auctiorem hisce fluidis, calore redeunte, illatam. Eos qui puerili aetate sanguinis per nares profusioni, adolescentia sanguinis sputo, obnoxii fuerunt, ingravescente aetate, haemorrhoides crebrius adoriuntur. Denique, laxiori habitu praediti, plethorici, et praesertim melancholici, qui semper plethora pollent venosa, quibusque venae abdominales prae caeteris valde distenduntur, hoc fluxu saepius quam alii molestantur.

CAUSÆ PROCATARCTICÆ.

HÆ ad tria quae sequuntur capita satis commode referri possunt.

PRIMO,

PRIMO, Quaecunque plethoram inducunt ; plethorici enim, uti modo observavimus, ad haemorrhoides valde proclives sunt.

SECUNDO, Illa quibus sanguinis ad rectum impetus magnopere augetur.

TERTIO, Omnia sanguinis venosi ex hoc intestino refluxum impedientia.

I. PLETHORÆ causae sunt,

imo, NIMIA alimentorum ingurgitatio, unde haemorrhoides magis apud divites, lauteque viventes, quam pauperes atque egenos valent.

2do, EXERCITATIONIS defectus, quo excretiones variae haud rite geruntur, nec inter ingesta et excreta ratio conservatur idonea : hinc multum apud eos, qui vitam agunt sedentariam, dominatur, de quo agitur, morbus.

3tio, EVACUATIONUM consuetarum suppressio ; quamobrem, post annum aetatis quadragesimum et quintum, crebrius hoc morbo afficiuntur faeminae : Tunc enim fluere sponte desinunt menses.

4to,

4to, EVACUATIONUM factitiarum, ut fonticulorum, exsiccatio ; praesertim si humor ex iis copiose effluere solitus fuerit ; quanquam quidem observandum, quod si exquisita sit inter continentia et contenta ratio, vel exiguam admodum excretionem solitam sistendo, humorum ad aliam partem affluxum elicere possumus, praecipue si ex quavis causa pars ista tali congestioni speciatim obnoxia esset.

II. CAUSÆ sanguinis fluxûs ad rectum copiosioris, hae praecipue habendae sunt.

IMO, MEDICAMENTORUM purgantium usus frequentior. Cathartica tunicam extorum internam stimulant, motum peristalticum celeriores reddunt, liquorum in intestina effusorum quantitatem et acrimoniam augent ; hinc humores a capite et caeteris corporis partibus ad intestina locosque vicinos derivant, uti liquido constat ex iisdem fluxum in gonorrhoea et fluore albo multum augentibus. Quae cum ita sint, luculenter patebit purgantium ad haemorrhoides excitandas propensio. Ca-

thartica quoque, sicut caetera stimulantia, tonum quibus applicantur partium debilitant; hinc recti aliorumque intestinorum venae resolventur, eoque facilius vi alicui distendenti cedent. Purgantia hunc morbum facillime inducentia, ea praecipue sunt, quae dum per intestina transeunt, haud satis assimilantur; sed acrimoniam notabilem adhuc conservant, eoque rectum haud leviter stimulant. Talia vi specifica hujus intestini irritandi pollere feruntur.

2do, DYSENTERIA, saepenumero ab auctoribus haemorrhoidibus inferendis culpata, optimo cum jure post cathartica recensenda; iisdem enim modis effectus suos praestare videtur, scil. humores majori quantitate ad rectum alliciendo, eosdem acriores reddendo, et denique vasorum intestinalium laxationem post se relinquendo.

3tio, VINA nonnulla, e. g. rubrum Gallicum (Anglice *Claret*) et Tockavienfe, saepenumero hunc morbum intulerunt. Haec, praeter indolem stimulantem, vi quadam

quadam peculiari frui videntur, quum, iisdem hominibus, similes effectus usum vinorum longe fortiorum minime sequuntur.

4to, NIMIS frequens hirudinum ad anum applicatio, quo sanguis huic loco determinari consuevit.

5to, MORBI nonnulli quos haemorrhagiae criticae tollere solent, saepius fluxu haemorrhoidali terminantur, si aeger huic caeteroquin obnoxius fuerit.

6to, HÆMORRHOIDES post graviores irae paroxysmos accessisse observatae sunt. Pathema hocce sanguinis circuitum plurimum accelerat, spasmum quoque per totam corporis superficiem crebro inducit, eoque sanguinem majori quantitate ad interiora, et, inter caetera, ad rectum, impellit: Modo etiam peculiari hepar afficere, hujusque visceris secretionem multum augere videtur, uti ex vomitionibus biliosis, quibus iracundia saepissime comitatur, liquido constat. Hinc haemorrhoides inducere potest, distensionem et plethoram topicam portarum venae, venarumque

rūmque haemorrhoidaliū, quae cum aliis in ea terminant, efficiendo.

III. EA jam, quae sanguinis a recto intestino refluxum impediendo, haemorrhoides gignunt, enumerare aggrediendum est. Observare autem liceat, sanguinem ex hac parte redeuntem speciatim stagnationi obnoxium esse, uti, spectatis structura, usu, situque ejus, plane patebit. Venae enim ejus, non ut in aliis locis, valvulis gaudent; omnis igitur harum pressio sanguinem peraeque retropellere ac propellere reperietur. Nullum auxilium sanguinis transitui, vicinorum musculorum actione, praebetur. Sanguis in hisce venis, contra suam gravitatem, positionibus corporis usitatoribus, ascendere cogitur. Partes rectum circumambientes multum solito laxiores sunt, adipeque molli tantummodo implentur, quo venae illius facilius vi alicui distendenti cedent. Denique, praecipuae venae haemorrhoidales, cum aliis meseraicis, vena portarum coeunt; quum autem insignem esse
hujus

hujus coarctationem, quando hepar introit, omnino necesse fit; alia datur sanguinis in hisce venis stagnationis causa.

HÆ sanguinis in venis hæmorrhoidalibus stagnationis causae sunt praecipuae.

1mo, QUANDOCUNQUE augetur mole, vel scirrhum evadit hepar.

2do, INTESTINORUM, foecibus vel aëre inclusis, insolita distensio.

3tio, GRAVIDITAS propter auctiorem, quam hoc statu acquirit uterus, molem.

4to, QUANQUAM per totum tempus, quo gravida esset, hæmorrhoides vitaverit foemina, partu ipso saepe impetum earum patitur. Tunc enim uterum, partes vicinas, et praecipue rectum, prementem, diaphragmatis et musculorum abdominalium nixus, multum adjuvant; partus igitur tardus inter causas hæmorrhoidum potentissimas habendus est.

5to, NISUS ad alvum deponendam violentiores, eodem quo causa jam dicta modo, hæmorrhoides excitant. Alvus astricta, quae saepissime hæmorrhoidibus inducendis culpatur, effectus suos praestare

flare videtur, et intestina distendendo, et nifus fortiores producendo; foeces quoque induratae rectum contudent et dilacerabunt.

6to, AQUA in ascite, rectum, aut caetera in abdomine contenta, comprimendo, hunc morbum facile efficiet.

7mo, VARIi circa vesicae collum et vaginam affectus, calculi, v. g. scirrhi, et apostemata. Quum rectum immediate post hasce partes jaceat, patet eas, non nisi hujus intestini venas comprimendo, mole augeri posse.

8vo, MOEROR gravis, diuque fatus, fluxum haemorrhoidalem haud raro induxit. Torporem omnibus abdominis visceribus, sed praesertim jecinori, cui obstructionem crebro infert, efficiendo, operari videtur: Quomodo hepatis obstructio haemorrhoides gignat, supra narratur.

CAUSA PROXIMA.

SENTENTIA vulgaris venarum haemorrhoidalium distensionem varicosam statuit

tuit esse hæmorrhoidum caecarum causam proximam; harumque rupturam, hæmorrhoides apertas efficere. Ita quidem nonnunquam sese res habet; et accuratissimus MORGAGNIUS dissectionibus monstravit, venas hæc, quanquam admodum exiguas, in molem enormem aliquando dilatari. Ex tumoris autem incisi specie cellulari, et venarum insigni exilitate, in genere concludere licet, tubercula ex sanguinis effusionibus in telam adiposam plerumque oriri. Hoc, dolore qui semper adest acuto, probabilius redditur; quum venae sensilitate notabili nequaquam polleant. Sanguis effusus vel ex arteriis vel venis effluere potest; ex his autem sæpius, quoniam hæmorrhoides apud melancholicos et plethora venosa præditos præcipue valeant.

SYMPTOMATUM RATIO.

NONNULLA hujus morbi symptomata explicatu haud difficilia sunt; alia autem dantur multo obscuriora.

PONDERIS sensus ac dolor lancinans ex distensione plane oriuntur.

QUANDO dolor fixior evadit, et accedunt calor, sitis, pulsusque frequens; patet jam adesse inflammationem, quam symptomata illa febrilia nunquam non comitantur.

DOLORES colici ex stimulo, a recto, membranarum suarum communicatione, ad alia intestina propagato, originem ducunt.

TENESMUS recti distensioni debetur. Tubercula enim intestinum implentia eundem, ac foecum collectio, excitant sensum.

STRANGURIA nascitur ex vesicae colli cum intestino recto vicinitate, vasorumque harum partium consortio, quo ex una ad alteram facile transit inflammatio.

LIQUET cur omnium symptomatum levamen tumorum rapturam aut suppurationem consequatur; eo enim tollitur causa illorum praecipua, nempe distensio.

FISTULAE, tumoribus suppuratis supervenientes,

pervenientes, aliis leviores sunt propter inflammationis sedem minus profundam.

PULSUS frequens, debilis, et irregularis, quo haemorrhoidum gangraena, ut omnis alia, stipatur, ab insigni vis vitalis attenuatione, pendet.

DOLOR alvo reddenda ingravescit, quia scybala dura tumores irritant. Praeterea nifus officio illo fungendo necessarius, notabilem intestinorum pressuram gignit, quo sanguis in venis haemorrhoidalibus copiosius accumulatur.

INTERNAE plus afferunt doloris quam externae, quia ut foecibus laedantur magis objectae sunt; superficies etiam recti interna, cute externa sensilior est; et denique loci calor distensionem magis violentae locum praebet.

P R O G N O S I S.

Ex multis observationibus liquido constat, haemorrhoides, quando diu manserunt, nec nimia quantitate fluentes, nec multa inflammatione concomitatae, mi-

nime morbofas sed potius salutiferas habendas esse. Hominem a multis malis liberum conservant, et incaute exsiccatae saepenumero exitium intulerunt. Vix morbus in tota nosologia reperitur quem aliquo tempore non induxisse fertur haemorrhoidum suppressio. Eorum tamen praecipui capitibus sequentibus haud incongrue referri possunt.

1mo, FEBRES, et illae praesertim quibus conjunguntur inflammationes topicae, v.g. pleuritis, peripneumonia, ac nephritis; his minime objectos esse haemorrhoidarios, dudum observavit HIPPOCRATES.

2do, MORBI illi qui a sanguinis in capite congestionibus morbidis oriuntur, coma puta, apoplexiam, et maniam.

3tio, HYDROPS et cachexia.

MORBOS duobus prioribus capitibus contentos, haemorrhoidum suppressio, plethoram corpori inferendo manifesto inducit. Cachexia a plethora quoque oriri potest, non secus ac propter eandem causam mensium suppressionem consecretari solet. Quoniam autem, haemorrhoidibus

rhoidibus obstructis, majorem sanguinis copiam per venam portarum transire necesse fit, cachexia etiamque hydrops ex hepatis obstructione ortum quoque ducere potest.

IN genere, igitur, naturae relinquendae sunt haemorrhoides.

TRES tamen dantur conditiones quibus medici auxilio opus est.

Imo, SI aeger huic fluxui non antea obnoxius fuerit.

2do, QUANDO propter fluxum immodicum aegri vita periclitatur.

3tio, QUANDO adest inflammatio insignis.

PRIORI horum casu, multum certe hallucinaretur, qui aegrum huic fluxui assuefieri pateretur; quoniam semper magis minusve molestus fit; quumque tot mala obstructio ejus, cujus semper periculum est, secum adferat.

QUOD ad fluxum nimium, observandum est, quod, quanquam nulla sit haemorrhagia quae hacce facilius perfertur, nec in qua minus sit periculi, aegrum jactura sanguinis

guinis subito mori, quod interdum tamen evenit; nihilominus multa proferantur exempla quibus fluxus copiosius reditus frequentior ansam postea prae-buit morbis aliis lethiferis. Fluxus immodicus extremorum frigore praenunciatur, etiamque cutis spasmo, dorsi dolore, artuum debilitate, vultus pallore, et denique pulsu frequenti. Excipitur virium defectu, corporis totius marasmo, faciei colore pallido, subflavo, vel livido; pulsu debili et tremulo, cachexia, crurum et faciei tumoribus oedematosis, tandemque hydrope generali. Quum tantae fluxui immodico superveniant calamitates, optimo cum jure sine mora sistendus esse videtur.

POSTREMO, si violenta adsit inflammatio, propter symptomata febrilia periculosa, quae semper secum adfert, eam totis viribus lenire conari oportet.

RATIO MEDENDI.

MEDELA haemorrhoidum tradendâ, haud improprium fore duxi, hanc in tres partes

partes diducere. Harum prima de inflammationis, quando adest, mitigandae methodo tractabit. Secunda, Rationem haemorrhoidum pro prima vice advenientium occurrentiarum absolvet. Et tertia, denique, de fluxu immodico sistendo differet.

I. QUANDO violenta urget inflammatio, eam sedare tentandum est; primo, sanguinis impetum ad partem affectam minuendo; secundo, medicamentis topicis ei applicatis.

I. SANGUINIS ad rectum impetus refrænatur,

IMO, VENÆSECTIONE. Haec praesertim necessaria est, et quidem in ea tota salutis spes collocatur, si plethoricus sit aeger. Magis convenit sanguinem ex brachio quam saphena emittere; hujus enim apertio sanguinem ad inferiora derivat, et quidem ad haemorrhoides incaute suppressas restaurandas adhibetur.

2do, CATHARTICIS antiphlogisticis, v. g. salibus neutris, manna, &c. Haec, parva

parva quantitate adhibita, non solum evacuantium officio funguntur, sed alvi adstrictionem tollendo, valde utilia reperiuntur: Cavendum tamen ne, nimia quantitate usurpata, morbum augeant, sanguinis impetum stimulo suo potius fortiolem reddendo, quam minuendo.

2. MEDICAMENTA topica quae hic maxime profunt,

Imo, EMOLLIENTIA et relaxantia sunt; qualia inveniuntur enemata ex aqua calida, vel herbarum emollientium decoctis, etiamque ex oleo calido.

2do, Si haemorrhoides externae sint, hirudines tuberculis applicati, sanguinem effusum exfugendo, multum afferunt levaminis. Nonnulli hirudinibus scalpellum praeferunt. Hoc autem, propter majus vulnus quod post se relinquit, minus commodum mihi videtur.

II. HÆMORRHOIDIBUS pro prima vice sese ostendentibus obviam itur,

Imo, SANGUINIS ad anum fluxum minuendo, modis supra memoratis.

2do,

2do, CAUSAS hunc morbum producentes vitando, ut postea dicetur.

III. QUANDO sanguis nimis copiose evacuat, fluxus reprimendus est,

Imo, SANGUINEM a parte affecta derivando.

2do, VASA laxata astringendo.

PRÆTER venæsectionis et cathartico-
rum usum, hic præcipue præstat humores
ad corporis superficiem derivare vestitu
calido, strigilis usu frequentiori, et equi-
tationis, ambulationis, vel navigationis
exercitatione quotidiana. In hunc finem
quoque vomitoria haud incongrue ten-
tarentur; quum iisdem hæmoptisi et hæ-
morrhagiis uterinis cohibendis feliciter
usus sit ROBISONUS præclarus.

Quo constriquantur vasa soluta, adhi-
benda sunt astringentia. Haec vel inter-
ne vel externe usurpantur. Interna, quum
alvum tardam reddere solent, externis ce-
dere mihi videntur. Illorum alumen cæ-
tera antecellit. Chalybeata hic nocent,
sanguinis

sanguinis circuitum haud leviter accelerando.

ASTRINGENTIA externa efficacissima sunt unguentum saturninum, decoctum corticis Peruviani, et praecipue decoctum corticis quercini.

PERACTA jam haemorrhoidum fanatione, pauca de causis earum vitandis dicere restat.

DUÆ harum sunt a quibus praecipue cavendum, plethora, scil. et alvi constipatio.

ILLI occurritur dietâ parcâ et exercitatione multa quotidiana.

HÆC parvis cathartorum lenium dosibus impeditur; in hunc finem eximius CULLENUS electario, quod sequitur, eleganti utitur.

℞ Florum sulphur. lot. unc. i.

Sal. polychrest.

Electar. lenitiv. P. L. aa. unc. ~~iii~~ fem.

Syr. rosar. solut. q. f. ut fiat electarium, cujus cap. molem nucis moschat. M. et V.